filium hominis apparebit. quae forma non est patris sed filii nec ea filius aequalis est
patri. sed qua minor est patre uisus in iudicio hominis et malis et conspicuus. Quem autem uidere
uidebunt mali. non eum uidebunt boni. quia non adeo gaudebunt corde. sed plan-
gent se omnes tribus terrae. in numero utique malorum deputati et infidelium. Visio illa filii hominis
nec bonorum erit ipsius quam merebuntur in regno aeterno. nec summum bonum erit iustis.
Adhuc enim uocat eos ad regnum quod eis paratum est ab initio mundi. Sicut enim illis di-
cet. Ite in ignem aeternum. sic istis uenite benedicti patris mei possidete para-
tum uobis regnum. Et sic ibunt illi in combustionem aeternam. sic isti in uitam aeternam. Quid

est autem uita aeterna. nisi ut cognoscant te inquit unum uerum deum et quem misisti

SEXTIVO iesum christum. Sed iam in illa claritate de qua dicit patri quam habui apud te priusquam mundus
fieret. Tunc enim tradet regnum deo et patri ut introeat seruus bonus in gaudium domini sui.

In atomo inquit quod apostolus dicit. **DE CELERITATE IUDICII.** Dicitur ad com-
in puncto temporis quod diuidi non potest. In ictu oculi. hoc est in summa celeritate. nouis-
sima tuba. hoc est in nouissimo signo quod dabitur ut ista compleantur. Canet enim
inquit tuba et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur. Hanc istam commu-
tationem in meliorem sine dubitatione oportet intelligi. quia omnes et iusti et iniusti re-
surrecturi sunt. sed sicut dominus in euangelio loquitur. qui bona fecerunt in resurrectionem
uitae. qui male egerunt in resurrectionem iudicii. iudicium appellans poenam sem-
piternam sicut alio loco. Qui non credit iam iudicatus est. Quod [illegible] in illi qui ad iudicium
resurrecturi sunt non commutabuntur in illam incorruptionem quae nec doloris corrup-
tionem pati potest. Illa namque fidelium est atque sanctorum. Isti uero perpetua damna-
tione cruciabuntur. quia ignis eorum non extinguetur et uermis eorum non morietur.
Hanc propterea incorrupti quod resurgent in integritate membrorum. sed tamen corrumpendi
dolore poenarum cum audierint. Ite in ignem aeternum qui paratus est diabolo
et angelis eius. A quo auditu malo iusti non timebunt. **DE EODEM.**

Et radius oculi nostri non citius propinqua attingit. tardius ad longin-
qua. sed utraque interualla pari celeritate contingit. ita in ictu
oculi sicut apostolus dicit sit resurrectio mortuorum. omnipotentiae dei et ineffabili
nutu tam facile est quam recentia quam diutino tempore dilapsa cadauera susci-

tare.